

claudet concionator hoc epiphonemate: *Plura quidem possum adferre dicta. Sed haec pauca sunt hac vice lectio vestra diurna.* Item: *Plura quidem possem, non tantum vetera, sed etiam recentia, & quidem domestica exempla commemorare: Sed quia plus satis nota sunt, illa omitto, & vobis pensitanda relinquo.* 11. Quia efficacissimum est docendi genus per exempla (molliissime enim suadet exemplis) nulla concio habebitur, quæ hoc argumentandi artificium omittat. 12. Exemplis sacris raro & parce profana subjungi possunt: tum videlicet quando sunt illustria, & continent aculeum reprehensionis aut momentum consolationis vel institutionis. 13. *Similitudines Biblicæ* primas tenent inter argumenta parabolica. His subjungi debent similitudines è vulgo & circulis peritæ, sed aptæ & selectæ. Nam hæ mirificam habent populariter docendi, imò etiam delectandi & mouendi vim.

III. Topica Theologica sunt loca inuentionis accommodata materijs Theologicis, & ita habent.

*Modus argu-  
mentandi  
Topicis  
Theologicis.*

*Primum* Topicum Theologicum est, quod continet argumentum ab usurpatione vocis cuiuspiam in sacris literis, siue à stylo ac phrasi Sacræ Scripturæ. *Secundum* continet argumentum à certa orationis siue locutionis formula. *Tertium* à significatione verborum ad sententiam seu mentem loquentis. *Quartum* à verbis antecedentibus & consequentibus. *Quintum* à generalitate, seu à sententia generali in Theologica. *Sextum* ab attributis Dei. *Septimum* à signo ad rem significatam, seu ab externo ad internum. *Octauum* ab vno tempore ad aliud: vt à tempore legis ad tempus Euangelij. *Nonum* ab vno tempore ad omne tempus, vel ab omni tempore ad vnum aliquod tempus. *Decimum* à capite ad membra, vel vicissim à membris ad caput. *Vndecimum* à corporalibus ad spiritualia, vel à spirituali ad corporale. *Duodecimum* à comminatione Dei ad effectum. *Decimumtertium* à promissione Dei ad effectum. *Decimumquartum* à necessaria impletione variciniij. *Decimumquintum* à necessaria veritate definitionis diuinæ & propheticæ. *Decimum sextum* à persona vnius pij ad personas omnium piorum. *Decimum septimum* à persona vnius impij ad personas omnium impiorum. *Decimum octauum* à typo ad veritatem. *Decimumnonum* ab allegoria ad geminam significationem. *Vigesimum* ab æquipollentibus. *Vigesimum primum* à concessione antecedentis ad concessionem consequentis, vel vicissim à concessione consequentis ad concessionem antecedentis. *Vigesimum secundum* à combinatione seu conjunctione duorum vel plurium dictorum. *Vigesimumtertium* à destructione antecedentis ad destructionem consequentis, vel vicissim à destructione consequentis ad destructionem antecedentis.

D 2

Vigesim.